

DE DIMIDIATIONE CONFESSIOIS.

3113. **U**rgente gravi necessitate, potest licite dimidiari Confessio, tam à Sacerdote in ordine ad celebrandum, quam à laico in ordine ad communicandum, ob rationem de *num.* 284. *in tom.* 3. Hæc autem necessitas, seu causa ab integritate materiali excusans non debet esse quæcumque, ob rationem de *num.* 285. *ad 289. tom.* 3. sed sola impotentia physica, aut moralis, ita ut ex una parte urgeat necessitas celebrandi, aut communicandi, & ex alia adsit impotentia confitendi.

IMPOTENTIA PHYSICA

3114. **H**abetur, 1. Si imminet periculum mortis, & patiens non habeat tempus confitendi omnia. 2. Si imminet multitudo moribundorum, ut tempore pestis, naufragii, subiri prelli, incendi, &c. Imò in his casibus possunt omnes simul, dicto uno peccato, quod minus infamat, vel secundum alios (si aliter fieri non possit) dicendo in genere, *se esse peccatores*, absolvi per hæc verba: *Ego vos absolvo, &c.* 3. Si infirmus nimis fatigetur in dicendis peccatis, hic potest dimidiare, & in posterum relinquere; & est absolvendus, ne morte præventus, sine absolute decedat.

3115. **V**ir ignoti idiomatis non habens copiam Confessarii, qui illum intelligat, potest dimidiare Confessionem, non solum instante præcepto divino, sed etiam Ecclesiastico; quia in eo casu facit, quod moraliter potest. Idem dic de mutò, aut valde balbutientis lingua, qui signis consistunt, quomodo possunt. Ita Leander de *Sacram. Poenit. disp.* 5. q. 56. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *ref.* 131. Vide *num.* 2912.

IMPOTENTIA MORALIS

3116. **H**abetur, quando non leviter, sed prudenter timetur grave damnum corporale, vel spirituale, proprium, vel alienum, *ut in tom.* 3. *num.* 284. & 289.

3117. In his casibus licita est dimidiatio Confessionis, non solum in articulo mortis, & quando obligat præceptum Divinum, aut Ecclesiasticum confitendi; sed etiam quando non obligat, si non brevi, sed longo tempore esset differenda Confessio; quia diu privati fructu hujus Sacramenti, est notabile damnum. Ita Leander, Diana, & alii.

3118. Circa peccata, quæ tacet, non requiritur contritio, sed sufficit attritio, & propositum consistendi illa, cessante periculo, seu impotentia, quia per Sacramentum jam ab illis indirectè absolvitur. Vide *tom.* 3. *num.* 288.

3119. Non licet dimidiare Confessionem ratione magni concursus penitentium, & sic dimidiare confessos absolvere; quia qui habet necessitatem Confessionis valde longe, potest, & debet ad aliam diem expeditorem remitti. Tum quia id cederet in scandalum, & animarum perniciem; nam perditum possent diem magni concursus eligere; ut sic dimi-

diatè confiterentur, & absolverentur, quando materia exposceret speciale Confessarii curam, & medicinam, quam ob penitentium multitudinem adhibere non valet.

3120. Si autem occurrat necessitas Confessionis adeò longe, ut tunc perfici non possit, & ex alia parte non possit ille sine scandalo, damno, aut infamia, Missam, seu Communionem, omittit; tunc potest ille cum sola contritione, & voto Confessionis celebrare, aut communicare; vel si prudenter timeret contritionem sibi difficilem, potest attritus confiteri dimidiatè. Diana *part.* 5. *tract.* 3. *ref.* 75. *tract.* 13. *ref.* 53. Similiter quando Parochus deferens Eucharistiam ad infirmum, audiens brevem reconciliationem, advertit eum teneri ad longam Confessionem, quam sine scandalo, & infamia tunc prosequi non potest, potest dimidiatè confesum absolvere, & communicare, & redire ad Confessionem. Vide in *pag.* 6. *prop.* 59. *ab Innoc. XI. damn.*

C A S U S:

3121. **S**acerdos, aut laicus habens cum non reservatis casum reservatum, si urgeat necessitas celebrandi, aut communicandi, & solum adest Confessarius valens à non reservatis absolvere, probabilius mihi est, quod debeat confiteri inferiori, tam non reservata, quam reservata; quia præceptum de præmittenda Confessione obligat ad integram, nedum formaliter, sed etiam materialiter; à qua integritate materiali solum excusat necessitas cadens supra ipsam dimidiationem, non supra celebrationem, uti est in casu; damnum namque, aut infamia non timetur ex Confessione reservati, sed ex omissione celebrationis. Et sic absolvitur ab omnibus peccatis, directè à non reservatis, indirectè à reservato, & non dimidiari Confessio. Volpi *ref.* 63. *num.* 11. Vide à *num.* 3358.

3122. Peccatum dicitur directè absolvi, quatenus aperitur Confessario habenti legitimam potestatem in illud, qui proinde illud directè absolvit; indirectè, quatenus absolvitur ratione concomitantia cum peccato directè absoluto, quod dupliciter contingere potest.

1. In peccatis oblitis, quæ quando quis confitetur, dicuntur absolvi indirectè, ex vi absolutionis directè data supra peccata confessa, in quantum non potest remitti unum peccatum sine alio, sed gratia omnia expellit.

2. Quando quis urgente necessitate celebrandi, aut communicandi, confitetur Confessario inferiori plura peccata, quorum alia sunt reservata, alia non reservata; tunc à reservatis absolvitur, non directè, quia ea non cadunt sub potestate Confessarii; sed indirectè ex vi absolutionis directè data supra non reservata, cum onere, ut postea accedat ad superiorem, aut Confessarium, ut ab eo absolvatur à reservatis directè, cui solum sufficit, ut confiteatur ipsa reservata, minimè alia, quia ab aliis jam fuit directè absolutus.

DE CIRCUNSTANTIIS PECCATORUM.

3127. **C**ircumstantia est, *accidens actui humano adjunctum*, circumstantia sunt septem. Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

Quæ sunt necessariò in confessione aperiendæ, si mutent speciem.

Q U I S

3128. **S**ignificat qualitatem peccantis; v.gr. in peccato fornicationis, an sit conjugatus, voto castitatis ligatus, &c.

3129. Religiosus professus non tenetur exprimere circumstantiam Religiosi, sed voti, etiam si sit Sacerdos; quia sola virtus castitatis, & Religiosis, tam à statu Religioso, quam ab utroque voto intenditur. Nec explicare tenetur circumstantiam voti solemniss; quia, votum solemne, & simplex non variant speciem, sed differunt accidentaliter secundum magis, & minus. Pariter mulier habens rem cum Religioso Sacerdote, sufficit, si dicat: *Habui rem cum habente votum castitatis*. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *ref.* 67.

3130. Conjugatus habens rem cum conjugata tenetur utriusque statum exprimere; quia habetur in eo actu duplex malitia, & injuria, quæ licet sit ejusdem speciei, & contra eandem virtutem, est tamen explicanda, ut explicetur peccatum in individuo, quod factum est; quod aliis non explicaretur. Tum quia frangere fidem, & cooperari, ut alter frangat fidem, sunt diversæ speciei. Idem dic, si uterque sit ligatus voto castitatis. Vide *num.* 2141. 2162. & 553.

Subditus injuria afficiens, aut percussus Superiorem, non sufficit, si dicat, se percussisse, &c. Religiosum, sed debet circumstantiam Superioris aperire; quia addit malitiam specialem contra observantiam Superioris debitam.

Si quis haberet rem cum muliere dormiente, debet circumstantiam aperire: quia infert injuriam, nam dormiens est quasi invita. Vide *num.* 2143.

3131. Prælati, seu Superior non tenetur in peccato fornicationis, aut alio peccato hominis, circumstantiam Prælationis exprimere, nisi peccet cum publicitate, & scandalo; quia talis circumstantia non mutat speciem: excipit peccata Superioris, quæ scilicet ejus concernunt officium.

3132. Frigidus, Banuchus, si fornicetur, aperire tenetur circumstantiam Impotentia generandi; quia mutat speciem contra naturam; nam ejus caret sine, ad quem est à natura ordinata. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *ref.* 139.

3133. Religiosus habens votum solemne castitatis, si faciat votum se non pollendi, & se polluat, non tenetur exprimere hoc votum. Leander; quia utrumque votum eandem virtutem intendit, imò secundum non est distinctum, sed confirmatio primi.

QUID

3134. **D**Enotat circumstantiam se tenentem ex parte materiæ, & objecti peccati; v. gr. in furto an calix sit consecratus, in persequione, an percussus sit Clericus, Pater, Mater, Superior.

3135. Qui plura vota de diversis materiis ex se non præceptis emisit, illa omnia violans, sufficit, si dicat: *tot vota, per tot vices fregi*; quia omnia sunt ejusdem speciei. Si verò sint de materiis ex se præceptis, tenetur illa exprimere; v. gr. fregi votum castitatis, non furandi, &c. Idem dic, si jejunium illius diei, ad quod tenetur ex voto, aut præcepto, fuisset injunctum pro penitentia Sacramentali; tunc namque illud frangens deberet exprimere votum, præceptum, & onus satisfactionis Sacramentalis, ob malicias specie distinctas, qua inde contraheret actus, ut infra dicemus de distinctione specifica, & numerica, & num. 3193.

3136. Secus est dicendum, si actus sit contra plura præcepta, aut contra votum pluries emissum. Unde, si quis omittat Sacram. die Dominico, quo occurrit festum Sancti, sufficit, si dicat se omisisse Sacram. die festo; idem dic de voto replicato; quia præcepta, & respectivè vota, sunt ejusdem rationis, ac proinde, actus non desumit ex illis malitiam specie distinctam, juxta dicta in *loc. cit.* Vide num. 1850.

UBI

3137. **L**ocum innuit peccati; v. gr. pollutio in Ecclesia. Vide à num. 556. ad 579. *Quibus auxiliis*, personam, qua usus est pro medio ad patrandum peccatum; v. gr. si ad provocandam mulierem usus est alia muliere, quod addit malitiam scandali contra charitatem. Vide à num. 328. ad 330. *Cur*, finem peccantis; v. gr. si quis furatur pecuniam ad fornicandum. *Quomodo*, modum, quo peccatum committitur; v. gr. si quis habeat rem cum muliere, adhibendo violentiam. *Quando*, tempus; v. gr. si Confessarius tractavit inhonesta cum muliere, quando illa confitebatur.

3138. Circumstantiæ, aliæ sunt mutantes speciem, quæ scilicet faciunt peccatum opponi ad virtutes, seu honestates specie distinctas, ac proinde constituunt peccatum sub specie distincta, ut in illatis exemplis, & de quibus fusè facta est mentio in propriis materiis, præsertim in 6. *Prac. Dec.*

3139. Aliæ sunt aggravantes in infinitum, quæ scilicet materiam venialem transferunt in mortalem, ut mendacium cum gravi damno proximi: quæ dicuntur aggravantes in infinitum, quia quasi infinitè mortale in gravitate distat à veniali: & hæc sunt necessariò aperiendæ.

3140. Aliæ sunt aggravantes, vel minuentes intra eandem speciem, quæ peccatum ad aliam speciem non transferunt, sed intra eandem speciem augent, vel minuunt. Et istæ, aliæ sunt parùm aggra-

vantes, quas certum est non esse necessariò aperiendas: Aliæ sunt notabiliter aggravantes, quæ scilicet faciunt unum peccatum mortale pluribus mortalibus intra eandem speciem in gravitate æquivalere, ut est furta mille aureorum, respectu furti viginti aureorum. De his est

DIFFICULTAS:

3141. **A**n sint necessariò in Confessione aperiendæ?

Prima opinio tenet, circumstantias notabiliter aggravantes per se non esse necessariò aperiendas, sed aliquando per accidens, si peccatum propter talem circumstantiam habeat annexam censuram, vel reservationem. Diana p. 1. tract. 7. ref. 1. p. 3. tract. 4. ref. 95. p. 5. tract. 14. ref. 56. Leander de Pœnit. tr. 5. dis. 8. q. 4. Lugo, Toletus, Ardekin tom. 2. pag. 227. num. 16. Maltrius dis. 21. quest. 7. num. 174. cum aliis ferè 60. Doctoribus, apud Dianam, & Leandrum.

3142. Ratio est, quia Conc. Trident. sess. 14. cap. 4. & Can. 7. enumerans ea, quæ in Confessione sunt de necessitate exprimenda, nullam mentionem facit de circumstantiis notabiliter aggravantibus; sed obligationem restringit ad numerum peccatorum, & ad circumstantias mutantes speciem: in doctrinalibus autem, quando ea recensentur, quæ necessaria sunt; si alia præmittuntur; eo ipso virtualiter declarantur non esse necessaria: eo maxime, quia Conc. addit hæc verba: *Nihil aliud ab Ecclesia à penitentibus exigitur*. Igitur nullam apparet præceptum, & nulla obligatio circumstantias notabiliter aggravantes aperiendi.

Tum quia opinio affirmativa est scrupulorum fomentum; valde enim perturbaret conscientiam, & valde durum esset si teneretur discernere, in qua quantitate circumstantia est notabiliter aggravans, & in qua non; quoniam non est major ratio, cur in furto, quantitas mille aureorum sit notabiliter aggravans respectu furti viginti aureorum, & non sic furtum viginti aureorum respectu furti unius aurei; sicut enim primum furtum est in quantitate æquivalente pluribus mortalibus, ita secundum.

Nec id requiritur, ut sit regula Confessario in danda medicina, ut obliget ad restitutionem; quia Confessarius per hoc præcisè, quod audit, furtum esse mortale, obligat penitentem ad restitutionem.

Unde concludunt, eum, qui furatus est v. gr. mille, sufficere, si dicat: *Commisi furtum mortale*.

3143. Secunda opinio, cui adhæreo, affirmat esse necessariò aperiendas. Scotus in 4. dis. 17. q. unic. De 2. art. lit. N. his verbis: *Nec solum peccata, sed circumstantias peccatorum notabiliter aggravantes includit dictum præceptum*, qui non potest explicari de circumstantiis mutantibus speciem tantum, nam exemplum assert de perseverantia, & diurnitate peccati, quæ quidem non mutat speciem, sed solum aggravat, Cajet. Scotus, Victoria, Ledefina, Joan. la

Cruz,

Cruz, & alii. Ratio est, quia multoties sunt circumstantiæ tales, quæ intra eandem speciem ita aggravant peccatum, ut iudicio prudenti majorem malitiam afferant, quam si adderetur circumstantia mutans speciem; igitur si circumstantia mutans speciem est necessariò aperienda; ita circumstantia præfato modo aggravans, quæ proinde dicitur notabiliter aggravans.

3144. Circumstantia igitur notabiliter aggravans non est illa, quæ solum facit unum mortale pluribus intra eandem speciem æquivalere; alioquin qui fornicatur, non tantum deberet explicare copulam, sed etiam oscula, & tactus impudicos antecedentes, concomitantes, & sequentes proximè peccato principali, ad quod ordinantur, connexa; quod secundum communem est falsum: *Sed est illa, quæ intra eandem speciem peccatum aggravat, ut iudicio prudenti majorem malitiam afferat, quam si adderetur circumstantia mutans speciem*.

3145. Hac ratione est circumstantia notabiliter aggravans. 1. In furto quantitas mille aureorum respectu viginti. 2. Excessiva diurnitas, v. gr. perdurare in odio, & voluntate occidendi inimicum plus quàm per tres menses, de qua perseverantia exemplificat Scotus cit. Vide tom. 3. num. 266. 3. Talis est (per plures qui tenent, gradus consanguinitatis non differre specie) circumstantia copulæ cum matre, aut patre. 4. Talis respectu homicidii facti per sclopetum est occisio hominis patrata cum excessiva fœvitie, v. gr. cum obtruncatione nasi, linguæ, manuum, &c. Quem, quæso (si non sit fera) non horret notabiliter tam excessiva crudelitas, ut certò non judicet, hanc esse circumstantiam majorem gravitatem homicidio afferentem, quàm sit alia circumstantia mutans speciem; puta, quàm si occisio per sclopetum esset facta ad fornicandum?

Hæc quidem, & similes circumstantiæ notabiliter aggravantes sunt necessariò aperiendæ Confessario, tam ut Medico, quàm ut Judici, quia validiori indigent medicina, qua curentur, & majori satisfactione, qua purgentur, exemplo desumpto ex morbo, & delicto physico.

Neque hæc sententia est scrupulorum fomentum, si penitens probum, & doctum Confessarium consulat, & si hæc reneatur regula, quod in dubio, an circumstantia sit notabiliter aggravans, censeatur, non esse notabiliter aggravantem; quia nemo est spoliandus libertate ob obligationem dubiam. Vide num. 41.

De circumstantiis plura alia dicta sunt in propriis materiis.

CONFESSIO ABSENTIS.

3146. **N**ON potest quis, nec licitè, nec validè consisti absentem per litteras, aut nuncium, & ab eo absolvi, etiamsi reperitur in articulo mortis, aut impotens ad accedendum ad illum, quia v. gr. detinetur in carcere, &c. Ita Scotus in 4. d. 17. quest. unic. lit. 2. quia Sacramenta exposcunt subjectum præsens, Constat ex ipsa forma

absolutionis *Ego te absolvo*, quæ non verificatur de subjecto absente, nam pronomen demonstrativum *Te* significat subjectum præsens, ut dictum est pariter de præsentia materiæ in Sacramento Eucharistiæ, num. 2653. & 3954.

3147. Nec obstat, quod matrimonium celebratur inter absentes per procuratores; quia contractus matrimonii (ut bene advertit la Cruz) in quo fundatur ratio Sacramenti, non est immutatus à Christo in ratione contractus, sed elevatus in lege gratiæ in ratione Sacramenti; ac proinde, quando salvatur in ratione contractus, sicut salvatur inter absentes, salvatur etiam in ratione Sacramenti: non sic Sacramentum Penitentiae, quod in ratione Sacramenti fuit à Christo institutum, ut requiratur præsentiam subjecti, ut ex ejus forma liquet.

Tum quia talis modus consistendi absentem per litteras, aut nuncium, est expostus gravissimis periculis, revelationibus Confessioni, scandali, & aliorum damni, quia ut ait Scotus cit. *ex natura sua est patulus*: quod cedit in grave præjudicium ipsius Sacramenti.

Hinc Clemens VIII. anno 1602. contrariam assertionem damnavit ad minus, ut falsam, temerariam, & scandalosam, eamque sub excommunicatione doceri, aut in praxim deduci, prohibuit.

3148. Eadem ratione invalida esset absolutio, si Confessarius præsentem audiret, & postea per litteras eum absentem absolveret.

3149. Ardekin tom. 2. pag. 232. addit: *Quod si aliquis per litteras, aut nuncium sacerdoti absentem confessus fuisset, & postea ad illum in periculo mortis accederet, & præsentem suæ alia Confessione absolveret, validè, & licitè absolveret, sicut si alii testentur, aliquem moribundum, sacerdote absente, dedisse contritionis signa, aut Confessionem petivisse, potest sacerdos superveniens illum jam sensibus destitutum absolvere*. Et Clemens VIII. non simpliciter absentem confessionem, sed simul ejusdem absentis absolutionem damnavit. Ita ille, qui addit, Clementem VIII. super hoc casu consultum, sic respondisse.

3150. Idem docet Maltrius disp. 21. q. 7. num. 170. in casu necessitatis, non extra; maxime, si infirmus Sacerdoti, cui peccata scripsit, occurrenti dicat: *Me accuso de omnibus peccatis, quæ scripsi*.

3151. Præsentia penitentis non est necesse, quod sit omnino physica, ita ut penitens sit ante pedes Confessarii; sed sufficit moralis, quatenus statim discensit, est in eodem Templo, ad prospectum Confessarii, à quo parum distat: Et sic si Confessarius aliquem defectum substantialem circa formam commissit, & penitens discensit; vel discensit antequam Confessarius perficeret formam, & admiratio esset adstantibus eum revocare, posset illum sic moraliter præsentem absolvere. Clericatus cap. 123. num. 13. ex Cotton.

3152. Absolutio à censuris potest dari absentem; quia potest dari extra Sacramentum, nisi superior

Oo 2

fa

facultatem absolvendi committat cum clausula in Confessione Sacramentali. Clericus cap. 123. num. 14. Vide num. 3315.

CONFESSIO IN SCRIPTIS.

3153. **N**emo, etiamsi fit impotens confiteri ore, ut mutus, &c. tenetur confiteri in scriptis, aut per interpretem, quia confessio fuit à Christo instituta secreta, & hic modus confitendi est ex natura sua patulus. Scotus in 4. d. 17. q. univ. lit. T. & Diana part. 5. tract. 6. ref. 4. Affirmat de impotente confiteri ore, si possit scripto, Leander de Pœnit. tract. 5. dis. 6. q. 17. Difficultas autem est, an fieri possit in scriptis?

3154. Et quidem in casu necessitatis, quo quis fit impotens confiteri, v. gr. quia mutus, ignora linguam, &c. confiteri potest per nutus, interpretem, aut scriptum, dummodo Confessarius absolvendo sit prærens quia quod confessio sit secreta, & vocalis, non est de essentia confessionis, sed modus Sacramentalis, adeoque in casu necessitatis potest esse publica, ut in num. 3114. habetur ex Trident. sess. 14. cap. 5.

3155. Extra casum necessitatis absolute affirmat Leander de Pœnitent. tract. 5. dis. 6. q. 14. & 15. quod si quis Sacerdoti præsentem tradat in scripto suam Confessionem tacite legendam, & immediate ante, aut post dicat: De his omnibus peccatis scripsit me accuso, valida, & licita sit confessio, quia implet præceptum confessionis vocalis, dum voce fateatur, peccata ibi scripta esse sua; & cum aliunde de illis habeat dolorem, ponit quod requiritur ad confessionis integritatem.

3156. Ardekin in tom. 2. pag. 232. & Moya hanc opinionem sequuntur in casu verecundiam valde magnam.

3157. Dico tamen, extra casum necessitatis confessionem in scripto factam Confessario præsentem esse graviter illicitam, & inde invalidam. Mastrius dis. 21. q. 7. num. 168. Faber, Brancatus, & alii Scotista, quia confessio vocalis est de præcepto divini; constat ex cap. Quem pœnitent, de Pœnitent. dist. 1. Præceptum enim Dominus mundandis, ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata, non per nutum, nec per scriptum manifestandi: dixit enim: Ora monstrate, erubescencia enim victa timore offensus sit venia criminis: hinc ut insinuat Scotus cit. lit. Z. erubescencia non excusat, sed sola impotentia, quoniam erubescencia est à Christo intenta, & inde est magna pars penitentia.

Tum quia opinio affirmativa potest esse scandalum, & occasio, ut confessio vocalis haud amplius, aut parum præsertim à puellis usitetur, quia cum non possit faciliter discerni, quanta verecundia requiratur, qualibet puella possit affectare, & præsumere suam verecundiam esse magnam, & excedentem, ac proinde à confessione vocali excusari.

3158. A fortiori, nec est licita, nec valida

confessio, si quis Sacerdoti, qui fuit peccato prærens, dicat: Me accuso de peccato illo, quod tu sis me heri commisisse, quia hæc notitia non est Sacramentalis nec fuit ordinata ad Sacramentum, sed est extrajudicialis. Scotus in 4. d. 16. q. 1. lit. E.

3159. Confessarius autem nullo pacto potest dare absolutionem in scriptis, sed debet eam voce proferre. Vide num. 3109.

CONFESSIO DE SOLIS CONFESSIS.

3160. **C**onfessio de solis mortalibus aliis confessis est valida, & fructuosa. Fructuosa, quia habet augmentum gratia. Valida, quia habet omnes partes; peccata enim confessi considerari possunt ut remissa, & ut commissa: unde absolutio cadit supra illa, ut commissa, quo pacto sunt materia sufficiens. Insuper subsunt novæ materia proxima, nempe novæ contritioni, confessioni, & satisfactioni; requiritur enim novus dolor.

CONFESSIO REITERANDA EST

3161. **Q**uoties est invalida; quod ex duplici capite contingere potest. 1. Ex parte penitentis. 2. Ex parte Confessarii.

EX PARTE POENITENTIS

3162. **E**st invalida, & reiteranda confessio, 1. Facta sine dolore, aut cum defectu alterius partis essentialis. Nec ab hoc ignorantia excusat; quia est defectus partis essentialis, nempe materia proxima. 2. In qua quis voluntarie aliquod mortale omittit. 3. In qua quis accedit cum voluntate peccandi mortaliter; quia tunc non est dispositus, non enim habet verum dolorem, & propositum se emendandi: talis est, qui in occasione proxima peccandi reperitur, quam relinquere potest, & non vult.

3163. In casibus, in quibus quis dum confitetur, peccat, seu indispositus ad Sacramentum accedit, sacrilegium committit.

3164. Rudis, qui sine certo numero, sed grosso modo mortalia indocto Confessario confessus est, non tenetur, detecto errore, confessiones reitereare. Leander hic tract. 5. dis. 5. q. 71. Diana part. 5. tract. 4. ref. 89. quia fuerunt validæ, & fructuosæ, quoniam peccata fuerant directe absoluta, non est autem obligatio, iterum subjiciendi clavibus peccata semel directe absoluta.

3165. Hinc Diana in Sum. verb. Confessarius quoad examen, num. 38. ait: Caveat ne penitentes perturbet circa validitatem præteritarum Confessionum. Nam, si interrogando illos de numero, respondeant, se nunquam numerum expressisse, cum ad bona fide fecerint, relinquendos in bona fide, ait Marchantius: nisi aliquid essentialia omisisse confiteri; nam Confessiones alioquin non integre materialiter, possunt esse integre formaliter ratione bonæ fidei, & sic sufficientes.

3166. Non sunt reiterandæ confessiones bona fide

fide factæ post confessionem invalidam, quia jam fuerunt validæ, & fructuosæ ratione bonæ fidei; sed solum est reiteranda illa, in qua fuit defectus, postquam memoria occurrerit. Hinc qui culpabiliter mortale tacuit, & postea in aliis confessionibus est oblitus illius sacrilegii, quando tandem ejus recordatur, non tenetur ad hæc repetendas.

NOTA CELEBREM DOCTRINAM.

3167. **Q**uando reiteratur confessio invalida cum Sacerdote, qui priorem illam confessionem non audivit, necesse est, omnia mortalia distinctè, & in particulari repetere, exprimendo peccatum, quod tacuit, & sacrilegium, quod fecit.

Quando verò Confessarius est idem, etiamsi non recordetur peccatorum, nec distinctè, nec confusè, nec penitentiam imposita, sed solum, quod sibi confessus fuerit, tunc sufficit dicere defectum commissum, nempe peccatum, quod tacuit, sacrilegium, quod fecit, & peccata nova, si sint; de cæteris verò aliis à Confessario auditis, se accusare in generali: Item accuso me de omnibus peccatis, que in confessione invalida tibi aperui. Quia in priori confessione penitens, licet invalidè, verè distinctè ea declaravit, & Confessarius penitentiam imposuit. Ita Leander tr. 5. dis. 5. q. 91. Diana part. 5. tract. 14. ref. 51. D. Antoninus, Lugo, & alii.

3168. Dico tamen melius cum D. Thom. repetenda esse peccata distinctè, & in particulari, nisi Confessarius eorum recordetur, saltem in confuso, aut saltem nisi recordetur in confuso, & in communi status, ac vitæ penitentis, quam tunc ducebat, aut penitentia à se imposita. Mastrius disp. 21. q. 8. num. 198. Bonac. Navarr. & alii: quia si sic non recordetur, non potest Confessarius rectè fungi suo munere in medicina, & penitentia imponenda; bene verò si præfato modo recordetur.

3169. Hinc praxis est, ut Confessarius, si penitenti sibi confesso absolutionem differat ad plures dies, vel quia confessio est longa, & non potest eodem die perfici, vel quia penitens est indispositus, tunc accedente termino dilationis, licet non recordetur peccatorum confessorum distinctè, & in specie, sed solum in confuso, non exigat, ut confessio repetatur, sed ut dolor eliciatur, & absolvat; quia penitens jam satisfecit confessionis integritati materialiter.

3170. Hac ratione, qui eidem Confessario est confessus, hoc modo uti poterit in confessionibus repetendis, si prudenter timeat, aut inveniat, eas ex defectu veri doloris, propositi, aut ex alio capite fuisse invalidas, dicendo: Accuso me de omnibus illis peccatis, que tibi in aliis Confessionibus confessus sum. Vide quantum utilitatis sit, eundem semper adire Confessarium.

EX PARTE CONFESSARII.

3171. **I**nvalida, & reiteranda confessio est. 1. Si Confessarius verba absolutionis substantialiter vitaverit, aut intentionem actualem, vel virtuales absolvendi non habuerit. 2. Si careat jurisdictione. 3. Si sit excommunicatus vitandus, quatenus est publicè denunciatus, vel notorius percussor Clerici; quia habet jurisdictionem impeditam. Valida autem est confessio, si Confessarius excommunicatus vitandus sit in loco, ubi ignoratur, & communi errore non habetur, nec creditur excommunicatus: insuper, si habeat titulum, quatenus est Parochus, aut verè approbatus; quia in hoc casu Ecclesia supplet jurisdictionem, qua ille caret. Leander cit. q. 78. & 79. & Com. Non excusat autem error particularis. Vide fuscè à num. 3256.

3172. Valida est, & non iteranda confessio bona fide facta cum Sacerdote valdè ignorato, quia ad valorem sufficit notitia de peccato in communi, videlicet, quod penitens habeat peccatum; sacrilega tamen, & inde iteranda est; si cum eo scienter, & ex malitia fiat. Leander cit. q. 84. Diana part. 3. tract. 4. resol. 121. Quilibet Confessarius approbatus est censendus idoneus, nisi certè constet de opposito.

3173. Valida, & non iteranda est confessio facta bona fide cum Confessario, qui ob surditatem, somnum, aut distractionem aliqua mortalia non intellexit sine culpa penitentis, & solum culpa erit in Confessario: quod si penitens illi postea advertat, sufficit, quod repetat ea, quæ probabiliter judicat, aut scit, non fuisse audita.

3174. Si verò nescit, quod illud fuerit; si confessio est brevis, tenetur omnia repetere, quia de singulis potest prudenter dubitare; si longa, non tenetur omnia repetere; quia in tanta multitudine non potest de singulis prudenter dubitare, sed solum confiteri debet peccatum illud in communi, dicendo: Me accuso de peccato illo mortali, quod Confessarius non audivit: similiter si sint aliqua non audita, quæ pariter determinatè discernere non potest.

3175. Probatum à pari; nam ex superioribus dicitur, qui scit, se commississe aliquod mortale, & non recordatur quale fuerit, tenetur illud in communi, & in genere confiteri: similiter, qui dubitat de aliquo mortali à se commissio, tenetur illud dubium confiteri; & demum, qui dubitat de aliquo peccato in communi, an illud confessus fuerit, tenetur illud dubium confiteri; igitur, qui scit, vel dubitat, aliquod, vel aliqua mortalia non fuisse à Confessario intellecta, debet illa in communi, & in genere confiteri, licet nesciat in particulari, qualia illa fuerint.

3176. Debet tamen tunc determinare materiam, quantum fieri potest, v. gr. dicendo: Scio, vel dubito, an Confessarius audivit unum peccatum grave meum, & nescio quale fuerit: sed tempore illo soleram confiteri tales, vel tales species peccatorum. Dia

na part. 4. tract. 4. ref. 198. Leander hic tract. 5. dis. 5. q. 86. Tamb. Lugo.

3177. Ad tollendos scrupulos, sciant fideles, quod si ob aliquem defectum occultum, contingerit aliqua eorum Confessio invalida sine eorum culpa, in sequenti confessione valida, peccata illa fuerunt indirectè absoluta.

DE SATISFACTIONE.

3178. Satisfactio Sacramentalis est, compensatio pœnæ temporalis debite ob injuriam Deo illatam, consistens in operibus pœnalibus, & laboriosis à Confessario taxatis.

3179. Peccato enim mortali correspondet culpa, quæ est offensæ Dei, & pœnæ æternæ; per Sacramentum Pœnitentiæ deletur tota culpa, itaut peccator redeat in Dei amicitiam; pœnæ verò non remittitur tota, sed commutatur de æterna in temporalem satisfaciendam in præsentem, vel in alia vita in Purgatorio. Hanc pœnam temporalem satisfactio Sacramentalis compensat ultra suas vires ex opere operato, ita ut majorem pœnam compenset jejunium à Confessario impositum, quam voluntariè assumptum. Taxa autem soli Deo est nota.

3180. Satisfactio in voto, videlicet in proposito eam adimplendi, est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, se tenens ex parte materiæ proximæ; in esse autem exhibitio, seu in executione est pars integralis. Scotus in 4. d. 16. q. 1. lit. E.

3181. Hinc pœnitens pœnitentiam acceptare tenetur, itaut, qui nullam acceptare vellet, nec possit absolvi, quia non esset dispositus, non verum dolorem haberet. Ita Com.

3182. Plures tenent, cum posse pœnitentiam non acceptare, & absolvi, si dicat velle pœnam in Purgatorio solvere. Et quamvis etiam id admittat Scotus in 4. d. 19. q. unic. lit. D. in casu, quo aliàs petens recederet desperatus; hic tamen casus est metaphysicus, qui fortè nunquam contingit, adeoque in praxi non est à communi recedendum.

3183. Confessarius verò debet esse prudens in pœnitentia imponenda; quamvis enim propriè pro peccatis contra Deum, ut superbia, pro pœnitentia injungenda sit oratio: pro peccatis contra proximum, ut avaritia, elemosyna; & pro peccatis contra se ipsum, ut peccata carnis, jejunium; Confessarius tamen debet ubi prudentia, ut pœnitentiam imponat moderatam convenientem statui, & conditioni personæ, ac pœnitentis fragilitati: hac ratione sæpè sæpius solent Confessarii pro peccatis carnis non jejunia, sed orationes injungere. Imò si pœnitens roget, ut aliam pœnitentiam mitiorem imponat, non sit nimis rigidus Confessarius, sed libenter immutat, ante oculos habens illud Marth. 12. v. 20. *Arundinem quassatam non confriget, & linum sumigans non extinguet.*

3184. Confessarium posse pœnitentiam im-

ponere liberam per modum consilii, non præcepti, tenent Diana, & Bonac. hic.

3185. Probabilis tamen dico, non posse. Maffrius disp. 21. q. 11. num. 281. Lugo, & alii, quia Concil. Trident. sess. 14. cap. 8. præcipit: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggererit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutare, & convenientes satisfactions injungere, ne, si forte peccatis convineant, & indulgentiam eorum pœnitentibus agant, levissima quadam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Quæ verba non indicant consilium, sed præceptum.

3186. Hinc ex una parte Confessarius graviter peccat, si sine rationabili causa pro peccatis gravibus valdè levem pœnitentiam imponat, v. gr. quinque Ave. Rationabilis causa levem imponendi, est extraordinaria contritio, si pœnitens lucraturus sit Indulgentiam, aut Jubilæum, quia satisfactio satis ultra habetur per Indulgentiam. Sequitur ex Trident. sess. 14. cap. 8. *Eos fieri peccatorum participes, qui sine justa causa, pro gravibus peccatis leves pœnitentias injungunt.* Nec compendant illa verba: *Quidquid bene feceris, &c.* quia sunt deprecative. Bafemb. lib. 6. tract. 4. cap. 3. dub. 4. num. 2. contra Dianam part. 3. tract. 4. ref. 97. qui cum aliis affirmat.

3187. Optimum tamen consilium est, quod injungat pœnitenti, ut ipsè applicet merita, & satisfactions passionis Christi. Utiles pœnitentia sunt Psalmi Pœnitentiales, Litanie Virginis, aut Sanctorum, Psalmus Miserere. Vide in pag. 7. prop. 21. ab Alex. VIII. damn.

3188. Ex alia parte, pœnitens graviter peccat, si pœnitentiam pro peccato mortali impositam non adimpleat, aut diù ex negligentia differat. Si Confessarius præcicit tempus, v. gr. jejunium Feria 6. Communionem die Dominico, tunc implere debet faciliter tamen potest à mortali excusari dilatio ad paucos dies. Si non præcicit tempus, Diana part. 10. tract. 12. resol. 42. Leander hic tract. 5. dis. 9. q. 89. Escobar, Henriquez, Fernandez, & alii tenent, posse sine mortali differri ad unum annum, quia ficut Confessio ab Ecclesia præcepta potest differri ad unum annum, ita satisfactio à Confessario imposita. Puto tamen, adimplendam esse quamprimum commode potest, ut de voto à num. 1847. ad 1847. Certum tamen est, quod non teneatur quis pœnitentiam implere ante absolutionem, aut communionem. Vide in pag. 7. prop. 16. & 17. ab Alex. VIII. damn.

3189. Non peccat graviter, si omittat pœnitentiam pro venialibus, aut mortalibus aliàs confessis impositam; nec si de imposita pro mortalibus partem levem omittat. Vide num. 425.

3190. Qui pœnitentiam adimplet in statu peccati mortalis, non invalidat, aut illicitat confessionem præteritam; quia confessio præsens non vitatur per mortale futurum. Item satisfacit præcepto, sed

sed non recipit tunc fructum, nempe effectum remissionis pœnæ; illum tamen recipit postea, recedente fictione, quando scilicet evadit in gratia; quia satisfactio suum effectum dat ex opere operato, nempe ex Sacramento, quod est vivum; adeoque licet satisfactio per mortale fuit mortificata, reviviscit, recedente peccato.

3191. Sit exemplum de operibus mortuis, & mortificatis: Opera mortua sunt illa opera bona, quæ sunt facta in peccato mortali, quod est mors animæ, & hæc, quia fuerunt nata mortua, non reviviscunt: Opera mortificata sunt opera bona, quæ fuerunt facta in gratia, quæ est vita spiritualis animæ, quæ, accedente peccato mortali, evadunt mortificata, quatenus stante societate peccati mortalis non retinent rationem meriti ad vitam æternam; recedente verò mortali, & redeunte gratia per pœnitentiam, reviviscunt in ratione meriti, ex eo quia fuerunt nata viva: hinc sunt versus.

Ille reviviscunt, qui mortificata fuerunt.

Vivere non possunt, quæ mortua nata fuerunt.

Opera autem bona, quæ fuerunt nata mortua, licet non sint meritoria in ordine ad vitam æternam, nec per subsequenter pœnitentiam reviviscunt; profunt ad alios effectus, nimirum ad obtinenda bona temporalia, ad humiliationem, & ad vitanda graviora tormenta in inferno, juxta versus Glossæ:

Quæ cum mortali bona sunt, dant bona terra.

Cor faciunt humile, & minuant tormenta gehenna.

3192. Potest pro pœnitentia imponi opus aliàs debitum ex præcepto, voto, &c. v. gr. jejunium in Quadragesima. Maffrius d. 21. q. 11. num. 272. Arctinus, Pontius, & alii Scotistæ, Lugo, Amicus, Averfa, & quamplures. 1. Quia opus per præceptum rationem liberi, & meriti non amittit; sic nec rationem satisfactionis. 2. Quia opus aliàs præceptum potest elevari per claves ad effectum satisfactionis ex opere operato. 3. Quia licet nemo possit per unicam solutionem duobus debitis satisfacere (quæ est ratio opinionis negative) hoc est verum ex natura rei, minimè ex gratia, & benignitate creditoris unam solutionem pro duobus debitis accipientis, cuiusmodi est Deus; ex Trid. enim, sess. 4. cap. 9. habetur: *Docet præterea, ut non solum pœnis, &c. sed etiam temporalibus flagellis à Deo institis, & à nobis patienter toleratis apud Deum Patrem, per Christum Jesum satisfacere valeamus.* Et tamen Deus illa dat in pœnam, juxta illud: *Propter peccata veniunt adversa.* Tùm quia id est verum in materia justitiæ; at extra materiam justitiæ duobus obligationibus satisficere, nihil obstat, ait Gobat tom. 3. de Voto, num. 241.

3193. Qui tamen tale opus, v. gr. jejunium diei Quadragesimæ omitteret; deberet utriusque præcepti circumstantiam in confessione aperire; non

præcisè, quia contra duo præcepta peccaret, sed quia contraheret duas malitias specie distinctas ab ipsis præceptis intentas: præceptum enim Ecclesiæ intendit obedientiam, seu temperantiam; præceptum verò Confessarii satisfactionem, & sic iustitiam. Vide num. 3135.

3194. Hæc dicta voto æquantur ad id quod fieri potest; regulariter enim non debet imponi pro pœnitentia opus aliàs debitum. Imò nec pœnitens potest satisfacere per opus aliàs debitum, si Confessarius id non expressit.

3195. Potest imponi pœnitentia applicanda pro animabus Purgatorii. Tamb. in Meth. Confess. pag. 407. num. 16. Lugo, & alii; quia pœnitentia habet rationem satisfactionis ex duplici capite. 1. Quantum est ex parte operantis, & hæc prodest animabus. 2. Quantum est ex opere operato, & hæc prodest soli ipsi pœnitenti; nam est personalis ex institutione Christi, & consequenter pœnitens non frustratur satisfactione.

3196. Pœnitens tenetur per se ipsum pœnitentiam implere, itaut, nec autoritate propria, nec Sacerdotis, possit eam alteri committere. Maffrius disp. 21. q. 11. num. 287. Bonac. Lugo. Et quidem, quod non possit id alteri committere autoritate propria, probatur, quia licet alius possit pro eo satisfacere ex opere operantis, ipsè tamen, nec alius potest opus illud elevare ad vim satisfactionis ex opere operato; hoc namque spectat ad virtutem clavium, nempe ad ipsi Confessarium; hac ratione non potest ipsè pœnitens pœnitentiam sibi etiam in melius immutare. Vide in pag. 2. Propos. 15. ab Alex. VII. damn.

3197. Nec id potest autoritate Sacerdotis; quia tres actus Contritio, Confessio, & Satisfactio, sunt materia proxima, quatenus sunt in pœnitente, constat ex Trident. sess. 14. cap. 3. *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis, actus, nempe, contritio, confessio, satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentia partes dicuntur.*

3198. Præceptum igitur satisfactionis est personale, non minus quam præceptum jejunii, audiendi Missam, &c. eò maxime, quia pœnitens per pœnitentiam puniatur, & curatur, adeoque ille, & non alius debet medelam fumere, & pœnam subire.

COMMUTATIO PœNITENTIÆ.

3199. Pœnitentiam ab uno Confessario impositam potest alius in benigniorem commutare; non solum, si sit purè vindicativa, & satisfactiva; sed etiam si sit medicinalis, & prescriptiva; quia secundus Confessarius se habet, ut successor prioris in eodem Tribunali, tam ut Judex, quam ut Medicus.

3200. Si posterior Confessarius non sit æqualis, sed inferior, potest pœnitentiam à superiori impositam

tam non reservatis commutare; minimè, si pro reservatis, quia sicut in reservata non habet jurisdictionem, ita non potest de illis iudicium efformare, imponendo pœnam; bene verò pro non reservatis quia quoad illa est æqualis.

3201. *Communitatio pœnitentia*, si fiat ab eodem Confessario; fieri potest extra confessionem, usque quò habet notitiam confusam peccatorum; quæ commutatio, & satisfactio erit Sacramentalis, quia Confessarius ex peracto iudicio virtualiter retinet potestatem pœnam mitigandi, & commutandi ad petitionem, & preces ipsius pœnitentis. Quòd si sit omnino oblitus, potest pœnitens rememorare in confuso. Imò ex pœnitentia data, potest faciliter expertus Confessarius statum pœnitentis dignoscere.

3202. Si autem fiat ab alio Confessario, certum est, quod fieri debeat in confessione, aliàs satisfactio non esset Sacramentalis.

3203. Difficultas tamen est, an in nova confessione possit pœnitentia commutari, non auditis peccatis præteritis, ob quæ fuit imposita?

Affirmat Diana *part. 2. tract. 15. resol. 53. Tambur. in Meth. Confess. pag. 408. num. 22. Navarr. Tol. & alii*; quia posterior Confessarius, cum sit Iudex, & Medicus, potest de tota causâ juxta præsentem pœnitentis dispositionem iudicare. Idem tenet Joseph de August. de eo, qui est oblitus pœnitentiæ injunctæ, nimirum, quod possit Confessarius novam imponere juxta præsentem pœnitentis statum.

3204. Dico probabilius, quod non possit, non auditis saltem in confuso peccatis prioribus. Maltrius *dis. 21. q. 11. num. 295. Filluc. Lugo, & alii*: quia Iudex non potest ferre sententiam, nisi cognita causa, & in nova confessione, licet cognoscat causam præsentem, non cognoscat causam præteritam; igitur non potest disponere de sententia præterita, nisi notitiam saltem in confuso habeat causæ præteritæ. Poterit tamen aliquando Confessarius expertus ex ipsa pœnitentia præterita, causam præteritam in confuso cognoscere.

3205. Non placet Ardekin *tom. 2. pag. 239. num. 10.* dicens, quod oblitus pœnitentiæ, aut factus impotens ad illam implendam, non teneatur ejus loco ad aliam; quia pœnitentia imponitur in satisfactionem, & est pars integralis Sacramenti, adeoque non tenet paritas de aliis præceptis, v. gr. Missæ, Jejunii, & Voti. Teneatur igitur aliam à Confessario petere. *Vide à num. 1841. ad 1847.*

DE SIGILLO.

3206. *S*igillum Sacramentale est: *Obligatio servandis secretum in omnibus iis, quæ in ordine ad absolutionem Sacramentalem Confessario aperuntur.* Obligat Jure Naturali, Divino, & Humano, & tam arctè, ut in nullo casu, etiam si salus propria vitæ, imò totius mundi inde penderet, liceat illud frangere, sive directè, sive indirectè.

3207. Ut peccata sub sigillo Sacramenti cadant, requiritur, quod pœnitens ea aperuerit per Confessionem Sacramentalem, nempe animo se accusandi, & absolutionem recipiendi; secus, si ea aperiat alio fine, etiam si flexis genibus, dicat: *Hoc tibi dico sub sigillo confessionis. Vide num. 2930. & tom. 2. num. 59.*

3208. Sub sigillo Sacramentali cadunt omnia peccata, etiam publica, & circumstantiæ, etiam impertinentes, ignorantèr dictæ, tam ipsius pœnitentis, quam complicis, & defectus naturales, etiam ignorantèr manifestati, qui confessionem aliquo modo odiosam reddere possent, v. gr. quod pœnitens sit illegitimus, &c. quia sigillum Sacramentale obligat ad occultandum omne id, quod confessionem odiosam reddere possent.

3209. *Aliæ verò conditiones, quæ qualitates pœnitentis, quæ non sunt peccata, nec defectus morales, civiles, vel naturales, quæ non reddunt confessionem vitalem, seu minoris existimationis, etiam si in confessione sint cognite, ad confessionis sigillum non obligant, nisi sub sigillo dicantur, & specificentur, quia non presumuntur dici, ut secreta naturalia, neque reddunt Sacramentum odiosum. Sic pariter opera bona, & virtutes ipsius pœnitentis. Ita Maltrius *dis. 21. q. 10. num. 253.**

3210. Non violat sigillum Confessarius, si peccatum aliquod auditum referat, ita tamen, ut nullo modo veniri possit in notitiam personæ, nec aliqua communis infamari. At in hac re debet esse maxime cautus Confessarius, ut non loquatur de peccato proximè auditum, nec in loco, ubi est auditum; quia sæpe aditantes veniunt in notitiam personæ, quia forte aliàs audierunt, aut sunt suspecti.

3211. Violat sigillum Confessarius, si dicat in genere: Titium esse confessum mortale, aut veniale in specie, v. gr. mendaciam. Minime, si dicat in genere esse confessum venialia, aut esse bene confessum, quia confessio non fit nisi de peccatis, & absolutio non datur, nisi pro peccatis.

3212. Si pœnitens ob indispositionem non absolutus petat cum aliis schedulam in testimonium factæ confessionis, teneatur Confessarius eam illi tradere, aliàs indirectè confessionem revelaret. At si ille merè sit ad confessionem accessit, nimirum ad vitandum infamiam, &c. Confessarius esset certus, quod idem ad communionem accederet, deberet schedulam negare, quia ex una parte confessio illa non est Sacramentalis, ex num. 2930. ex alia cooperaretur simulationi ad Communionem faciliorem. Ita ferè Ardekin *tom. 2. pag. 236. num. 7. Vide num. 1733.*

3213. Violat sigillum, si pœnitentiam pro mortali imponi solitam revelet, v. gr. Psalms Pœnitentiales, Coronam, &c.

3214. Non violat sigillum, si revelet pœnitentiam pro veniali imponi solitam, puta unum Pater, & Ave. Clericatus *cap. 125. num. 8.* Idem Diana *part. 5. rr. 11. res. 31.* tenet, si unum Miserere, aut quinque Pater, & Ave; quia non indicat, nisi confessionem venialium.

Vio-

3215. Violat verò, si dicat Superiori, in tali domo à se sæpe postulari facultatem pro reservatis. Clericatus *cit. num. 13.*

3216. Qui *num. 15.* ritè tenet, violare sigillum Confessarium, si dicat: *Non absolvi Titium.*

(Nisi addatur causa, quæ excludat omnem manifestationem, seu suspicionem peccati; puta, quia materiam non reperit, vel tempus non habuit suam explendi confessionem, quamvis etiam in his, & similibus locutionibus sit parè os aperiendum, & cum magna cautela. *Coton. num. 29. & 30.* Ubi etiam notat, non esse licitum dicere de publico peccatore: *confessus est mihi suum peccatum.*)

3217. (Si contingat, Confessarium proprium peccatum confiteri non posse, nisi revelet alterius peccatum in confessione auditum, suum reticere tenetur; quia præceptum sigilli Sacramentalis strictius obligat, quam præceptum confitendi omnia mortalia; hoc enim solum est affirmativum, illud negativum.) Ita Ardekin *tom. 2. pag. 236. num. 11.* Id tamen longè prius docuit Scotus *in 4. d. 21. q. 2. lit. M. Tambur. ad aliud dico.*

3218. Confessarium, qui in confessione ex socio conspirationis novit sibi infidias parari, posse se continere domi, divertere à silva, &c. quia id non est revelativum confessionis, sed indifferens ad peccatum confessum, vel non confessum, cui æquè potuisset haberi, si peccatum non esset confessum, tenet Scotus *in 4. d. 21. q. 2. lit. M. Tambur. in Meth. Confess. p. 412. cap. 6. num. 5.* Bonacin. Fenechi *Ardekin tom. 2. pag. 237.* qui hæc addit rationem: *Quia fuga hæc per se nullum peccatum manifestat, sed solum peccati confessionem, peccatum enim socii illi antea cognitum habuerunt. Leander hic tract. 5. dis. 101. q. 68. & 69. Bulemb. lib. 6. tract. 4. cap. 3. dub. 1. num. 5.* addit: *Ad sui ipsius gubernationem licere tali casu ea scientia uti, videtur probabilius, v. gr. abstinendo à calice, in quo scitur esse venenum, desistendo à silva, in qua paratum sibi mortem sciat ex umis latronis confessione: Docent Sylv. Henri. Coninchi. Laym. & quamvis Lugo id neget in casu, quo inde ex sociis sequatur damnus pœnitenti; etiam in hoc casu concedit Coninchi, cum aliis; quia damnus pro accidens sequitur. Vide tom. 3. num. 365.*

3219. Diana verò *part. 5. tract. 11. resol. 46.* cum Ricardo, Navar. Suarior, & Soto, rectè, & clariùs rem distinguit: videlicet, si in casibus prædictis, & similibus, & diversione, & fuga Sacerdotis ob propriam vitam servandam, sequeretur aliqua suspèctio apud alios de peccato confesso, aut periculum damni pœnitentis, tunc non posse Sacerdotem se divertere, etiam si sit in mortali, sed de contritione provilum teneri ingredi silvam, vinum venenatum in altari fumere, & Deo se commendare; quia sigillum Sacramentale ob bonum fidelium, & reverentiam Sacramenti, fortius obligat, quam salus totius mundi; & multò magis, quam propria vita servanda: quæ suspicio faciliter contingeret; quia socii conspirationis, videntes, Sacerdotem post auditam confessionem complicis, se divertere ab itinere certè assumpto, &c. jam suspicarentur de delicto conspirationis confesso, & possent in socium irruere; tunc enim diversio, & fuga licet non sit ex natura sua manifestativa sigilli, talis est hæc, & nunc ex circumstantiis.

3220. Si autem contingat, quod circumstantiæ sint tales, ut ex diversione, & fuga, nulla directè, aut indirectè oriatur suspèctio peccati confessi, v. gr. quia tenus socii complicem consententem non viderunt, &c. tunc Sacerdotem ob vitam servandam posse licet se divertere.

3221. Confessarius nullo pacto uti potest notitia habita in confessione pro externo aliorum regimine, administratione Sacramentorum, &c.

3222. Hinc non potest Sacerdos negare Eucharistiam, matrimonium, suffragium, &c. ei, quem ex confessione scit esse indignum, impeditum, &c. Nec Abbas Monachum, quem ex confessione scit esse concubinarium, è loco, aut officio removere potest. Ita Scotus *in 4. d. 21. q. 2. lit. N.* ubi hoc notabile documentum affert.

3223. Si dicat: *Non apponit remedium ad salutem ovium sua. Respondeo: Consulat sibi in foro pœnitentiæ meliori modo, quo poterit, ut illum locum sibi periculosum dimittat; si noluerit, non attinget esse Deum, sed defectus oculos, sibi secundum iustitiam in corrigibiles, Dei correctioni dimittat.*

3224. Hinc Clemens VIII. Decret. de anno 1591. die 26. Martii generaliter prohibuit hujusmodi notitiæ usum: *Tam Superioribus pro tempore existentibus, quam Confessariis, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimi, ne ea notitia, quæ de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* *Boop. maximo.*

3225. Quo non obstante Decret. *Tambur. in Meth. Conf. pag. 412. s. 2. & Maltrius in Theol. Mor. dis. 21. q. 10. art. 2.* duplicis generis distinguunt actus: 1. Qui versantur circa personam pœnitentis; ut eum punire, è loco removere, ei suffragium, aut communionem negare, &c. 2. Qui non exercentur circa personam pœnitentis, sed sunt illi extrinseci, v. gr. servo non tradere eubandam, superiorem claudere fores, unde fert, subditi nocte exire, &c. Quæ præmissa distinctione tenent, in Decreto comprehendi actus primi, non secundi generis, quia per hos nihil in exteriori gubernatione contra personas singulares decernitur: & illis superior utitur ob bonum proprium, vel ipsius pœnitentis, vel communionis, vel alterius innocentes, & ut scandalum vitentur, ita tamen, ut nec directè, nec indirectè sigillum violetur; alioquin sciens ex unius complicis confessione, se fore occidendum, non posset se domi continere, etiam si inde nulla sequeretur suspèctio peccati confessi. Ita illi, & Maltrius pro se citat D. Thomam *hic q. 11. art. 1. ad 3. D. Bonavent.*

Pp

d.

d. 22. p. 2. q. 1. & Scotum in 4. d. 21. q. 2. §. Ad argum.

3226. Cæterum novissimè adest Decretum S. Inquis. Univ. Rom. de anno 1682. prohibens: Ne quis publicè, aut privatim doceat, aut defendat, licere nisi scientia ex confessione acquisita cum gravamine pœnitentis, quamvis secluderetur quæcumque ejus revelatio, & quamvis nullo majus gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur, mandans etiam universis Sacramenti Pœnitentis Ministris, ut à tali doctrina, in præxim deducenda profusè abstineant, apud Arldekin tom. 2. pag. 238. & Fenech. de Sigillo.

3227. Pro externa igitur subditorum gubernatione superior peccato ex confessione cognito, ita se gerere debet, ut si nunquam illud audivisset, ac proinde habeat in mente dictum Scoti: Non attendet esse Deum.

3228. Nec potest superior ex noticia peccati in confessione habita, inquirere media ad illud sciendum extra confessionem, ad finem sic pueniendi subditum, aut alium actum circa personam pœnitentis exerceendum; quia ex hoc maximè odiosum redderetur Sacramentum Pœnitentiæ, nedum ipsi pœnitenti, verum etiam cæteris fidelibus, si scirent, Confessarium ex noticia confessionis habere jus expiscandi eandem notitiam extra confessionem, & inde actiones contra eorum personas patrandi.

3229. Confessarius, non obstante confessione, potest uti noticia peccati, quam aliunde habet, dummodo eam nullo modo per notitiam confessionis adjuvet, & abist scandalum; quia non utitur noticia sacramentali.

3230. Confessarius, si ex complicit confessione sciat pœnitentis peccatum, quod ipse non confitetur, non potest ipsum de eo speciatim interrogare, sed solum in genere, an habeat aliud peccatum, quod confiteatur, quod si neget, eum tenetur absolvere, si aliàs impedimentum non inveniatur.

3231. Si illud sciat extra confessionem ex auditu fidedigni, tenetur eum interrogare in specie, quod si neget, debet pariter eum absolvere, quia putare potest illud, cum alio Confessario esse confessum, vel relatoem deceptum esse; quia in pœnitentiæ foro credendum est pœnitenti, sicuti contra se, ita & pro se. Si tamen illud certò confitet Confessario, quatenus v. gr. furantem, blasphemantem, &c. vidit, & certò sciat, non esse cum alio confessum, tunc si neget, eum absolvere non debet, utpote indispositum. Arldekin tom. 2. pag. 237.

3232. Nullo pacto licet Confessario loqui cum pœnitente de peccatis in Confessione auditis; quia ruborem affert, & reddit odiosam confessionem: licet autem de ipsius pœnitentis licentia; quam concedere censetur, si ipse prior de illis loqui incipiat.

3233. Si Confessarius in confessione gravem errorem committit, qui pendeat in futurum, v. gr. quia bona fide consuluit contractum, quem postea usurarium reperit, tenetur petere à pœnitente licen-

tiam loquendi de materia confessionis præterita ad salutem animæ illius pertinente. Si pœnitens neget; probabilius est, quod possit de peccato, & re loqui, ac errorem corrigere, 1. Quia tunc proprie non loquitur extra confessionem, sed perscit eam, que inchoata, & imperfecta erat. 2. Quia in casu mali consilii, nihil loquitur de confessione præterita, sed solum consilium malè datum revocat. Arldekin tom. 2. pag. 236. num. 13. & Fenech. Quòd si pœnitens audire non velit, debet Confessarius eum monere, quod sit in malo statu, denegando licentiam, & reculando audire.

3234. Si pœnitens ob aliquem bonum finem, v. gr. ad consilium à doctiori petendum, ad malum aliquod avertendum, &c. licentiam det Confessario, de proprio peccato, aut alia re confessionis cum alio loquendi, potest Confessarius sine fractione sigilli cum eo loqui, sed non cum altero, ad quem licentia non fuit concessa; quia id, quod pœnitens potest facere per se, potest per alium facere; nec confessio odiosa redditur; licentia autem debet esse expressa, & nullo modo sufficit præsumpta; quia talis præsumptio est odiosa, aut periculosa; imò tunc peccatum manifestare debet, de quo consilium petit, non peccatorem.

3235. Dixi: ob aliquem bonum finem; quia ut ritè advertit Scot. in 4. dist. 21. q. 2. lit. L. Jus sigilli sacramentalis non est tantum ipsius confitentis, sed etiam totius communitatis fidelium, quæ alias maximè perturbaretur, & ipsius Sacramenti, cui ipse pœnitens renunciare non potest; ac proinde non potest pœnitens ex lubricitate, & levitate licentiam Confessario dare de re ad confessionem pertinente loquendi, nec Confessarius ea uti debet, sine magna Sacramenti irreverentia.

3236. Ille verò, cui Confessarius peccatum de pœnitentis licentia manifestavit ob consilium, aut aliam causam ad absolutionem sacramentalem spectantem, ad sigillum sacramentale tenetur, quia est notitia, ex Confessione orta, & ad confessionem ordinata. Arldekin cit. pag. 237. num. 15.

3237. Ad sigillum sacramentale tenetur ultra Confessarium, interpres ille, quem Confessarius super re confessionis consuluit, laicus, qui Sacerdotem se fingens, confessionem excipit, aut qui casualiter peccatum confitentis audivit, item ille, qui Confessarius sacrilegè revelavit peccatum: Ita Scotus in 4. dist. 21. q. 2. lit. N. L. qui advertit, præfatos, præter Confessarium, teneri sigillo sacramentali, ita ut sacrilegium contra Sacramenti reverentiam committant, si de eo peccato loquantur, quatenus ad eos notitia ex Sacramento pervenit; non tamen cum eodem rigore, quia non subjacent penis Canonicis, quibus ipsi Confessarii subduntur; quæ in cap. Omnis utriusque sexus, de Pœnit. & remis. sunt depositio, & perpetua pœnitentia in arcto Monasterio luenda.

3238. Pœnitens non tenetur ad sigillum sacramentale; tenetur verò ad secretum naturale, quoad

ca,

ea ex quorum manifestatione sequeretur gravis infamia sui, aut Confessarii. Omnino vide casum num. 2930.

CAPUT V.

DE MINISTRO SACRAM. PœNITENT.

3239. **M**inister hujus Sacramenti est solus Sacerdos. In eo, ut validè absolvat, requiritur intentio, potestas ordinis, & jurisdictionis. Potestas ordinis dicitur potestas remota, potestas verò jurisdictionis potestas proxima, quatenus Sacerdos vi ordinationis accipit à Christo potestatem ad absolvendum, sed non accipit subditos. Unde jurisdictione Confessarii est, Jus in subditos ad exercendam potestatem absolvendi, quam ex vi ordinis Sacerdos habet. Hinc absolutio à Sacerdote data sine jurisdictione, est nulla, ex Trid. sess. 14. cap. 7. Quia Sacramentum Pœnitentiæ, est actus iudicii, qui, si exercetur in non subditum, est nullus. Vide num. 3285.

3240. Hinc fit, quod simplex Sacerdos non approbatus non possit validè absolvere à venialibus, aut mortalibus aliàs confessis. Ita Maltrius disp. 21. quæst. 8. num. 202. Faber, Brancatius, & Scottista; quia licet materia sit libera, absolutio est sententia, & actus iudicii, qui in non subditum est nullus. Unde oppositæ opinionis usus fuit prohibitus ab Innoc. XI. ut in num. 2935.

3241. Jurisdictione est triplex, ordinaria, delegata, & ex concessione juris.

Ordinaria, habetur ratione officii; eam habet Summus Pontifex in omnes Christi fideles; Episcopus, & ejus Vicarius in omnes ad suam Diocesim pertinentes; Parochus in fuis Parochianos: Et Prælati Regulares in suos subditos: tales sunt Generales, Provinciales, Priores, & Guardiani, qui quidem alia approbatione non indigent, ut suorum subditorum confessiones excipiant; quia tam ex jure communi, quàm ex statutis nostri Ordinis sunt proprii Sacerdotes.

Parochus relicta Parochia indiget approbatione. Sieri de Pœnit. n. 757. cum Com. quia tunc cessat Officium Parochiale, ratione cujus competit potestas ordinaria.

3242. Delegata, quæ non ex vi officii, sed ex concessione Ordinarii Sacerdoti communicatur.

3243. Parochus, aut obtinens beneficium; cui est annexa cura animarum, non indiget alia approbatione; bene verò si officium, vel beneficium relinquat. Arldekin tom. 2. pag. 207. num. 2.

3244. Ex concessione juris, competit habentibus jus, vel privilegium eligendi pro se confessarium non approbatum. Tales sunt Cardinales, & Episcopi.

Item Prælati Religionum, videlicet Generales, Provinciales, Commillarii, Visitatores, Superiores locales, Commiffarii, & Procuratores Curie Romanæ, & Vicarii Conventuum in Capite, qui guber-

nant in Capite, hoc est, qui gubernant in absentia, aut morte Superioris localis. Melphi in Comm. cap. 7. stat. 1. q. 1. & 7. Præfati Confessarium eligere possunt non solum in Conventu, sed etiam extra, sicut etiam extra possunt suorum subditorum confessiones audire; quia privilegium est personale, non locale. De Episcopis alio modo dicitur Diana p. 3. tract. 2. ref. 3. contra Villalobos in Summ. tom. 1. tract. 9. diff. 15. num. 4.

Parochi, aut qui Beneficium Curatum habent, non possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario; quia non sunt Prælati. Vide in pag. 2. prop. 16. ab Alex. VII. damn. & num. 3275.

3245. In articulo mortis quilibet simplex Sacerdos, non approbatus, imò excommunicatus vitandus, hæreticus, &c. si non sit alius promptus, potest quoslibet fideles, à quibusvis casibus, & censuris, etiam reservatis absolvere, ex Trid. sess. 14. cap. 7. quia in articulo mortis nulla est reservatio, & Trident. nullum excipit Sacerdotem, sed ample loquitur: Verumtamen præ admittendum, ne hic ipsa occasione aliquis peccat, in eadem Ecclesia Dei custoditam semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.

Hinc pro tali casu, & Ecclesia dat jurisdictionem, & tollit omne impedimentum Canonicum ex parte Sacerdotis. Vide tom. 3. num. 171.

3246. Quamplures Doctores, Diana, Logo, Pontius, Faber, & alii, apud Maltrium disp. 21. q. 8. num. 203. ritè sub articulo mortis, etiam comprehendunt periculum probabile mortis, cum hoc solo discrimine, ut in periculo mortis Sacerdos absolvere possit directè à quibusvis peccatis, etiam reservatis; à censuris verò reservatis, non nisi sub conditione, ut periculo elapso, coram Superiore se præsentet, nedum pro satisfactione, & ut stet ejus mandatis, sed etiam pro absolutione. Vide num. 3355. & 3359.

3247. Articulus mortis, propriè est tempus illud, quo mors certò instat de proximo, & est inevitabilis.

3248. Periculum probabile mortis, est illud, in quo non instat certò, sed ex sæpè contingentibus probabiliter timetur mors; tale est in eis, qui periculum, aut periculosam, & longam navigationem proximè sunt aggressuri. Vide num. 3357.

JURISDICTIONE DELEGATA

3249. **N**ON censetur, nisi aliquo signo externo; quia Sacramentum est signum sensibile externum. Sufficit tamen quoddamque, quod revera, & iudicio prudenti, in talibus circumstantiis indicet intentionem conferentis jurisdictionem.

3250. Unde non est necesse, quod fiat per litteras; adeoque; qui fuit ab Ordinario ore tenus de-